

Abstammungszeichen weggelassen. Die hier einschlägige Stelle bei Abt Stephan von Scheyern aus dem Jahre 1623 pag 19, welche lautet: „Huius (Wernheri) nepos comes Otto (Otto fehlt in Stephans Ausgabe, steht aber im Originale des Liber primae fundationis) filius Dominae Hazigae Fundatricis, qui et postea solus eidem urbi (Schloss Scheyern) dominabatur, quatuor filios habuit,“ lässt darauf schliessen, dass Konrad die beiden Wernher nur für eine Person angesehen hat. In diesem Falle hätte er aber einen chronologischen und genealogischen Fehler begangen. Uebersetzt man aber „huius nepos“ nicht mit der Enkel desselben, sondern mit ein Enkel dieses oder desselben (nämlich Wernhers I.) Graf Otto, der Sohn der Gründerin und Gebieterin Haziga. . . hatte vier Söhne, so war Otto III. ein Urenkel Wernhers I. und die directe Abstammung Otto's I. und Otto's II. von Wernher I. wäre demzufolge thatsächlich von Konrad Schyrensis angenommen und ausgesprochen worden im Gegensatze zu Bischof Otto I von Freising (1137—1158) aus dem markgräflichen Hause der Babenberger, welcher die Abstammung der Schyren von Berthold II. behauptet hat Die viel grössere Wahrscheinlichkeit spricht für die Darstellung des Geschichtschreibers seines Klosters und seiner Fürsten, für Konrad Schyrensis.

2. S. 308, Separatabdruck 36 Ziffer 10 ist nach Perchtoldi et Ott'nis das entscheidende Wort nepotes sowohl in meinem Conceptione aus Versehen wie in Folge davon auch im Drucke weggeblieben. Nepotes ist vor aufgeführt zu ergänzen und statt Arnold IV. auf derselben Zeile Arnold III. zu setzen.

3. Die 1901 im ersten Hefte S. 24/25 und Separatabdruck S. 3 angeführte Bulle des Papstes Paschalis II. d. d. VII. Id. Nov. Ind. XIII. anno dom. incarn. 1104 ist im Originale noch vorhanden und wird im k. bayer. allgem. Reichsarchive aufbewahrt. Das Datum unterliegt keiner Beanstandung, wie ich mich durch Augensehneinnahme überzeugt habe.

4. S. 303 bezw. 31 zwölfte Zeile ist statt „an des hochgelegenen“ zu lesen „an der Stelle des hochgelegenen.“

5. Die übrigen kleinen Mängel und Druckversehen, (wie z. B. S. 286, Zeile 15, l. Burgeck st. Burgheim etc.) wird der geneigte Leser selbst berichtigt haben.

De Æternitate et Tempore.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) Æternitas et tempus nihil sunt, si praescindas ab existentia rei; nam esse in aeternitate aut in tempore non est tandem nisi esse. Sunt ergo modi existendi qui nihil reale addunt existentiae. Distinguuntur tamen inter se secundum perfectionem quam important rei existentis; nam esse in tempore importat tale esse quod possit deesse, esse autem in aeternitate est absolute esse, id est, excludit possibilitatem non essendi: ideo dixit Æternus: „Ego sum qui sum.“ Igitur sicut duae entitates non possunt specie distingui inter se sub ratione entitatis, sed secundum perfectionem quam unaquaeque importat, et nihilominus perfectio haec non distinguitur ab entitate ipsa; similiter quod est in aeternitate et quod est in tempore, non differunt secundum quod sunt simpliciter,

sed secundum modum essendi, id est, secundum perfectionem quam importat esse in aeternitate et esse in tempore; et nihilominus perfectio haec non distinguitur a perfectione quam importat entitas cujusque, quatenus nihil reale addit entitati ipsi, quia respectu unius et ejusdem entis et quoad perfectionem ejus non est aliud esse et aliud esse in aeternitate aut in tempore, sed id est esse quod est esse in aeternitate aut in tempore: et ideo dixi supra quod esse in aeternitate aut in tempore non est tandem nisi esse, et quod aeternitas et tempus sunt modi existendi qui nihil reale addunt existentiae. Verumtamen sicut duae entitates specie distinctae conveniunt in eo quod sunt entitates, differunt autem secundum quod sunt tales entitates, et ideo praeter differentiam realem inter eas ponitur distinctio mentalis respectu cujusque inter conceptum entitatis et conceptum hujus entitatis, quamvis entitas et haec entitas unum et idem realiter sunt in unaquaque; similiter quia id quod est in aeternitate et id quod est in tempore, conveniunt in quantum sunt, differunt autem in quantum sunt in aeternitate respective et in tempore, ideo praeter differentiam realem inter utrumque secundum perfectionem quam importat esse in aeternitate et esse in tempore, ponitur distinctio mentalis respectu cujusque inter conceptum essendi et conceptum essendi in aeternitate aut in tempore. Vnde secundum rationem tantum distinguuntur, respectu unius et ejusdem rei, esse simpliciter seu existere et esse in aeternitate aut in tempore. Et ita quidem secundum rationem tantum, ut non modo aeternitas et tempus nihil realitatis addant existentiae cui alterutrum conveniat, sed neque aliquem respectum realem, quamvis utique existere in tempore praesupponit in re existente relationem realem ad causam sui. Etsi enim creatura in sua existentia habet relationem ad Creatorem tamquam ad causam, modus tamen existendi creaturae proprius, de quo impraesentiarum agimus, non est aliqua relatio ad Creatorem, sed conditio creaturae consequens rationem effectus. Seu aliis verbis: id quod existit contingenter vel in tempore, habet relationem dependentiae ad ens necessarium: contingentia autem non est relatio, sed simpliciter praedicatum vel conditio creaturae, in eo consistens quod possit ipsa esse vel non esse. Sunt igitur aeternitas et tempus seu necessitas et contingentia quid absolutum, non relativum, modus nempe existendi qui consistit in conditione existentiae cujusque entis. Et hoc bene nota, aeternitatem scilicet aut tempus secundum existentiam, non secundum essentiam, de ente praedicari, ita ut sit praedicatum ipsius existentiae secundum quod haec significatur in propositione per verbum *existere*, id est, secundum quod importat existere simpliciter, non secundum quod actualis entitas rei habet perfectionem essentiae ejus; nam si dicam: „Deus existit aeternaliter, homo in tempore,“ non dicunt

haec propositiones qualis sit actualis entitas Dei et hominis secundum perfectionem essentiae, quia verbum existit significat simpliciter Deum et hominem existere, atque id quod per verbum significatur, afficiunt dictiones aeternaliter et in tempore. Vnde manifestum fit quod licet existere aeternaliter aut in tempore pendet a perfectione rei existentis, aeternitas tamen aut tempus non praedicatur de existentia prout haec importat perfectionem essentiae, quasi nempe aeternitas aut tempus sit praedicatum essentiae ipsius, sed praedicatur de existentia ut existentia simpliciter; et ideo idem omnino dicunt haec propositiones: „Deus est aeternus, Deus existit in aeternitate, existentia Dei est aeterna,“ in quibus, ut cuique patet, non enuntiatur qualis sit entitas Dei secundum perfectionem essentiae, sed simpliciter quod existere in Deo est aeternum. Quod propter eos advertendum est qui possibilitatem tuentur creaturae aeternae hac ratione innixi, quoniam essentia creaturae praescindit ab hic et nunc seu a ratione temporis, et ideo non fuit necesse ut creatio mundi fieret initio temporis, sed potuit mundus, si Deus voluisset, esse aeternus. Haec autem ratiocinatio vitio peccat ignorationis elenchi: nam utique essentia omnis creaturae aeterna est in sensu negativo, secundum suam videlicet immutabilitatem; et etiam in sensu positivo seu secundum existentiam, quatenus consideratur in Deo et ab eo non distinguitur, juxta illud Evangelii: (Joan. 1) „Quod factum est, in ipso vita erat“: sed neutro in sensu accipitur essentia creaturae, quum quaeritur utrum possibilis sit creatura aeterna: sermo enim est de essentia ut existente extra Deum, seu de entitate contingente quae est creationis effectus; nam creatio non respicit essentiam metaphysicam ut immutabilem, sub hac enim ratione essentiae non fiunt. Quorsum ergo dicere quod creatura potuisset, si Deus voluisset, esse aeterna, eo quod essentia creaturae praescindit ab hic et nunc? numquid quod est contingens, praescindit ab hic et nunc? numquid contingentia creaturae pendet a voluntate Dei? Alius praeterea error in opinione quam improbamus, involvitur, quia nempe haec duo, incipere esse et ex nihilo fieri, tamquam separabilia distinguit, cum separabilia non sint, quod statim demonstrabimus.

b) Duae igitur sunt conditiones existentiae, ut videlicet aut necessaria sit et immobilis, aut contingens et mobilis. Necessariae existentiae ratio alia esse non potest nisi essentialitas ejus, ut videlicet ens existat a seipso, seu existentiam ab alio non recipiat, sed illam habeat de essentia sua; unde fit ut ipsa existentia non sit fluens aut perdurans, sed fixa et immobilis sicut essentia. Haec est conditio entis aeterni, haec essentia aeternitatis, quae ideo definienda est: „immobilitas entis in existendo;“ ejus autem radix seu ratio immediata et a priori est essentialitas existentiae seu

identitas existentiae cum essentia. Tempus e contrario, secundum quod est proprietas vel conditio creaturae, definiendum est: „mobilitas entis in existendo;“ ejus autem radix seu ratio immediata et a priori est non-identitas existentiae cum essentia, id est, quod ens non habet existere de essentia sua, sed ex causalitate alterius. Consulto autem dixi de tempore „secundum quod est proprietas vel conditio creaturae“: nam oportet distinguere inter ipsam rei conditionem et numerum instantium existentiae ejusdem rei sibi succedentium; quae distinctio in aeternitate locum non habet, quia in ea est esse purum, in tempore autem esse cum non-esse. Et re quidem vera, ideo in aeternitate non est existentiae initium, quia ens aeternum non transit de non esse ad esse, secus atque ens contingenter existens: nam quod ex nihilo fit, potest statim a creatione ad nihilum redigi, seu existere unum instans indivisibile; quod quidem instans, quod in dicto casu annihilationis est unicum, data rei conservatione evadit primum seriei successivae instantium qua constat existentiae extensio vel duratio: annihilatio enim, si fieret, certo succederet creationi; unde si loco annihilationis ponamus rei creatae conservationem, habemus secundum instans existentiae quod succedit instanti creationis; et ita porro per totam existentiae cujushbet creatae extensionem. Quandocumque ergo producta supponatur creatura, datur instans primum existentiae suae, quod est instans creationis; si enim non daretur instans primum creationis, non posset annihilatio creationi succedere seu fieri instanti secundo, quia non datur secundum sine primo: per quod ostenditur creaturam necessario incipere esse, quatenus instans creationis est instans primum existentiae suae; ideoque inseparabilia esse ab invicem incipere esse et ex nihilo fieri, et omnem creaturam existere non posse nisi in tempore, id est, in instantium successione. Itaque praeter conditionem supradictam entis contingentis, quam definivimus mobilitatem entis in existendo, quaeque non distinguitur a contingentia ipsa, nihil aliud est tempus, secundum quod per temporis nomen existentiae durationem significare intendimus, nisi numerus instantium existentiae sibi succedentium. In aeternitate vel in ente aeterno non datur haec distinctio (inter entis nempe conditionem et durationem existentiae ejus); nam duratio vel instantium successio consequitur entis contingentiam: propter quod in Deo idem sunt, etiam formaliter, esse necessarium et esse aeternum; nam esse necessarium est non posse non esse, esse autem aeternum est immobiliter esse, quae manifeste identificantur. Sicuti etiam in creatura idem sunt formaliter contingentia et tempus, si per tempus intelligatur conditio existentiae, nempe, mobilitas ejus; nam esse contingens est posse non esse, esse autem temporaneum est mobiliter esse, quae revera idem formaliter sunt. Ex eo autem quod ens contingens potest non esse, et ideo inceptit

esse, fit ut sit in successione temporis, id est, in successione instantium existentiae: et secundum hoc non sunt idem formaliter contingentia et tempus; contingentia enim est conditio vel proprietas entis, tempus vero est numerus vel series successiva instantium existentiae. Vnde cum aeternitas, quae importat esse purum, per oppositionem nempe ad contingentiam seu ad possibilitatem non essendi, unde oritur secunda ratio temporis vel successio, nihil aliud sit quam conditio vel proprietas entis, non distinguitur formaliter a necessitate, sicut prima ratio temporis, seu tempus ut conditio vel proprietas entis contingentis, non distinguitur formaliter a contingentia. Nihilominus tamen, cum aeternitas considerari possit non modo secundum positivum quod ut proprietas esse divini importat in Deo, sed etiam secundum oppositionem ad tempus quatenus hoc est successio instantium existentiae, inde est quod per comparisonem ad tempus concipiatur aeternitas tamquam attributum distinctum a necessitate, sicut tempus distinguimus a contingentia; et in hoc sensu „immobilitate esse“ addit conceptui necessitatis respectum oppositionis ad mobilitatem et successionem temporis. Verumtamen respectus iste aeternitatis ad tempus vel entis aeterni ad temporanea, quatenus necessitati entis aeterni superadditus, pure mentalis est, secundum considerationem videlicet vel comparisonem mentis nostrae: nam Deus quoad suum existendi modum ita se habet existentibus creaturis ac si nulla creatura esset; et ideo in rei veritate seu in Deo ipso non est formalis distinctio aeternitatis et necessitatis, sed sola essentialitas existentiae.

c) Aeternitas ergo tripliciter intelligi potest: primo per conceptum positivum secundum coexistentiam entis aeterni cum temporaneis; sic enim accepta aeternitas, quasi duratio concipitur quae extenditur ad omnia possible tempora; et huic aeternitatis conceptui, qui prae reliquis communior est inter homines, respondet ipse terminus aeternitas qui positivus est; et hoc spectato aeternitatis conceptu positivo, aeternum esse, semper esse et existere omni tempore possibili unum et idem sunt. Sic autem accepta aeternitas non est vera aeternitas, id est, non est id quod per nomen aeternitatis de Deo significare intendimus, quamvis sit id quod in mente nostra repraesentare valeamus (oportet enim distinguere inter id quod verum esse intelligimus, atque id quod per speciem propriam nobis repraesentamus): nam ideo praecise positivum aeternitatis terminum usurpamus quia positivus est mentis conceptus, id est, quia specie utimur a rebus creatis desumpta; in hac enim comparatione aeternitatem inter et tempus non nisi media idea temporis de aeternitate cogitamus. Conceptus igitur cui terminus aeternitas proprie respondet, non est verus conceptus ejus quod per eundem terminum signi-

ficare intendimus, quia significare intendimus id quod in Deo esse intelligimus, non id quod in conceptu nostro per speciem propriam repraesentatur. Conceptus igitur ipse quatenus nimirum illi respondet terminus positivus aeternitas, non est conceptus attributi divini, quamvis idem attributum terminus ille significat ex intentione loquentis; sed conceptus temporis, conceptus successionis, conceptus durationis, utique sine fine, nequaquam vero sine principio, nam successio sine principio repugnat. Equidem imaginatio potest procedere sine fine in serie successiva addendo unitates vel individua sive in descensionis ordine sive ascensionis; et inde contingit ut conceptus positivus aeternitatis quem modo describimus, repraesentet, utique secundum imaginationem, durationem illimitatam sive a parte ante sive a parte post: sed si quis putat seriem successivam sine limite a parte ante, id est, sine principio, possibilem esse in ordine reali, profecto in errore versatur, et errat saltem dupliciter: primo quoad ordinem numericum, quia non datur secundum sine primo, nec tertium sine secundo, et ita porro per totam seriei extensionem usque ad ultimum. Et sane, quis non videat quod si ascendendo non est devenire ad primum, etiam descendendo possibile non est devenire ad ultimum, siquidem infinitum nequit pertransiri? Vnde in hypothesis quod mundi duratio vel existentia esset sine principio, ea quae in mundo eveniunt tempore quo haec scribo, quodque habet rationem ultimi, numquam evenirent: et eadem ratio est de temporibus praecedentibus, quia si non est devenire ad primum, quodvis temporis instans, quantumvis antiquum, praecedat necesse est instantia numero infinita; vel, ut melius dicam, tota series evanescit, si non est primum unde incipiat. Deinde error etiam est in transitu ab operatione imaginaria ad ordinem realem; imaginationi enim indifferens est individua seriei vel instantia temporis numerare et multiplicare ascendendo vel descendendo: sed in ordine reali vel in rei veritate ratio ipsa seriei successivae et postulat primum unde incipiat, et terminum etiam sui; et eo ipso quod semper limitem habet in ultimo, potest sine fine continuari; quod non verificatur de limite in principio, quia repugnat ipsi notioni successionis, quae locum non habet nisi in ordine descensionis seu a parte post. Itaque terminus positivus aeternitas adhibetur quidem ad significandum attributum divinum, et illud proinde significat secundum intentionem loquentis; per se autem, vel ut positivus est, non est aptus ad significandum id quod de divino attributo intelligimus secundum oppositionem ejus ad tempus, sed tantum ad significandam coexistentiam Dei cum ente temporaneo in omni tempore possibili. Atqui hoc attributum divinum non differt a tempore secundum rationem coexistentiae Dei cum ente temporaneo, sed secundum modum existendi vel

coëxistendi. — Vnde secundo, spectato mutuo respectu coëxistentiae inter ens aeternum et temporaneum, aeternitas intelligi potest et debet per conceptum negativum, id est, non secundum coëxistentiam simpliciter in omni tempore possibili, in qua ens aeternum nihil differt a temporaneo, sed secundum modum coëxistendi, qui in ente aeterno concipi non potest nisi per oppositionem contrarietatis ad tempus: nam ens temporaneum coëxistit aeterno existentia mobili, et consequenter, si durat, in successione instantium; ens vero aeternum coëxistit temporaneo existentia immobili, et proinde absque instantium successione vel, quod in idem recidit, absque principio; unde fit ut a temporum differentiis prorsus alienum, praesens tamen sit omni tempori. Verus igitur conceptus aeternitatis, quatenus haec a divinae existentiae necessitate distinguitur, seu secundum coëxistentiam entis aeterni cum temporaneo, non habetur nisi per negationem mobilitatis existentiae, seu modi existendi qui competit enti contingenti. — Si vero a coëxistentia entis aeterni cum temporaneo praescindatur (a qua sane praescindendum est, ut intelligamus, quantum possumus, modum existendi proprium Dei) illudque dumtaxat attendatur quod necessario postulat perfectio divini esse; sola invenitur essentialitas existentiae seu ejusdem existentiae necessitas, cujus quidem conceptum positivum habemus, quatenus positive nobis constat quid sit essentia, et existentia, et necessitas in genere. Vnde aeternitas, quatenus a necessitate existentiae non distinguitur, intelligenda est per conceptum pure positivum, per conceptum nimirum repraesentantem esse purum, quatenus repraesentabile est in nobis, repraesentantem videlicet existentiam essentialem seu identitatem existentiae cum essentia.

d) Sed forte multis non arrideat quod conceptum durationis a conceptu aeternitatis excludam, aut durationem sine successione non admittam. Equidem duratio et successio conceptus inter se pugnantes exhibere videntur, quatenus duratio est perseverantia unius et ejusdem rei in esse suo, successio vero importat multitudinem rerum quarum una post aliam existit; at in duratione non sola attendenda est unitas vel identitas rei existentis, sed etiam continuatio existentiae vel continuata existentia. Porro in duratione successio non est respectu rei durantis, siquidem una et eadem res existere pergit; sed duratio ipsa quid erit, si non est successio? successio, inquam, non rerum existentium, sed instantium existentiae? Quid enim est duratio nisi continuatio existentiae? quomodo autem continuatur existentia nisi per seriem successivam instantium existentiae? continuatio enim existentiae concipitur tamquam existentiae extensio, cujus quasi partes sunt instantia ejusdem existentiae; et sicut in extensione proprie dicta totum seu extensio nihil aliud est quam numerus partium per

unionem simultaneam, ita in extensione durationis totum seu duratio aliud non est quam numerus instantium existentiae unitorum in serie successiva. Porro non est continuatio sine principio; nec aliter quam per additionem partis ad partem continuatio habetur: sicut ergo non datur numerus sine unitate nec series successiva sine principio, ita nec duratio, cum continuatio sit, sine principio vel successione. Duratio ergo debet ab aeternitate excludi, quia non nisi in ente contingente locum habere potest. Et sane inter existere necessario vel immobiliter et existere mobiliter vel contingenter non datur medium: jam vero certum est in existentia entis contingentis dari successionem instantium; nec minus evidens est in hac successione consistere continuationem existentiae. Quid igitur, dices, ens aeternum non durat? durat profecto in sensu negativo, quatenus esse non desinit; sed non durat in sensu positivo, secundum existentiae nempe continuationem. Durat, quatenus ut fixum et immobile, necessario omnibus quovis tempore existentibus coëxistit; sed non durat, quatenus existit simpliciter et immobiliter, instantia autem existentiae sibi succedentia quibus existentia continuatur, in eo non sunt: et ideo proprie loquendo non durat, quamvis durare dici potest secundum quod aeternitas propter suam immobilitatem ad omnia quasi extenditur possibilis tempora. — Si objiciatur in contrarium successionem quae requiritur ad rationem temporis, esse successionem secundum mutationes rerum, simplicem autem existentiae continuationem non sufficere, respondemus negando prorsus hoc assertum. Antequam autem hujus negationis causas exponamus, lectorem monitum volumus nos de nomine non disputare: itaque nomine temporis intelligi successionem vel prius et posterius secundum rerum mutationes, spectato nominis usu, non abnuimus: et in hoc sensu idem nomen usurpavit Angelus in Apocalypsi (cap. 10 v. 6) quum „juravit quia tempus non erit amplius“: sane in fine mundi, ad quem Angeli verba referuntur, finis etiam temporis erit quatenus locus ultra non erit mundanis varietatibus in ordine ad ultimum finem, sed omnia in fine constituentur. Attendendo igitur non ad communem usum nominis tempus, sed ad notionem successionis, vel ad prius et posterius secundum quod modus existendi creaturae distinctus est et oppositus modo existendi Dei, dico primo: absolute loquendo non repugnat creatura sine mutationibus, quoniam etsi necessario mutabilis, quoad actuales tamen mutationes subjacet potentiae Dei; repugnat autem (dato quod conservetur in esse) sine successione instantium existentiae suae: ergo id in quo creatura necessario differt a Deo quoad modum existendi, non consistit in mutationibus, sed in successione instantium existentiae, et in contingentia quae ratio est successionis secundum quod haec imperfectionem involvit. In his, inquam, ne-

cessario creatura differt a Deo, et ejusdem semper est conditionis; sed quoad actuales mutationes, ut dixi, licet a se semper mutabilis, subjacet potentiae Dei; et ideo dari possunt, et revera dantur in ea diversi quoad mutationes status. Sic v. g. aliter se habet homo in suis mutationibus dum tendit in finem suum, aliter vero dum quiescit in possessione finis: nam dum versatur in via, multis est variationibus obnoxius temporalium bonorum amore et usu atque timore malorum; sed constitutus in termino, in Dei contemplatione et amore immobilis perseverat, et in hoc est immutabilis, utique per donum Dei; nec aliter tunc mutatur quam per exercitium libertatis in fruitione bonorum creatorum, quae accidentalem constituit beatitudinem. — Dico secundo: si tempus consistit in successione seu in prius et posterius, falsum est citra rerum mutationes non dari tempus, nam prius et posterius habentur in duratione existentiae creatae, etiam sine mutationibus. Dico tertio: si in mutationibus tempus est secundum prius et posterius, non ergo in mutatione sita est ratio temporis, sed in prius et posterius: ideo autem inseparabile est tempus a mutatione, quia non datur mutatio sine prius et posterius; sed ex hoc non infertur non dari prius et posterius seu tempus sine mutatione, nam prius et posterius in mutationibus intelligitur secundum existentiam ejus quod esse incipit aut ejus quod esse desinit, ita ut successio non sit in mutationis subjecto, sed in iis quae mutatione acquiruntur vel amittuntur, in scientia v. g. quae ignorantiae succedit in acquirente illam, vel cujus existentia existentiae subjecti succedit quatenus caret illa: unde si successio in eo consistit quod prius unum existat, alterum postea, vel, ut melius dicam, si successio est prius et posterius in existentia, perinde est, quoad rationem successionis, sive plures res successive existant, sive unius et ejusdem rei per instantia sibi succedentia continuetur existentia. Tempus igitur aliud non est quam series successiva instantium existentiae, non, ut voluit Aristoteles, numerus et mensura motus secundum prius et posterius. In motu utique est tempus secundum prius et posterius, sicut de mutationibus diximus; sed inde non sequitur citra motum non dari tempus, quoniam non in motu sita est ratio temporis, sed in successione vel in prius et posterius, sine quo motus esse non potest. Quemadmodum ergo in mutationibus tempus est prius et posterius secundum existentiam eorum quae sibi succedunt, ita in motu tempus est prius et posterius secundum existentiam rei quae movetur, vel operationis ejus, quatenus terminus a quo et terminus ad quem motus respondent distinctis instantibus ejusdem existentiae. Tempus ergo est ipsa duratio existentiae rerum, quae a motu, qui infra mutationis genus comprehenditur, et ab aliis omnibus mutatio-

nibus praescindit: verum cum durationis extensio seu numerus instantium existentiae, quem Deus quidem novit, nostram fugiat apprehensionem, ideo mensura aliqua opus habemus quae sensibus sit perceptibilis, ut per eam tempus metiamur, et secundum eam quantitas temporis quod ab uno eventu ad alium fluxit, determinetur; et secundum hoc dicit Scriptura (Gen. 1, 14): „Dixit autem Deus; Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos.“ Profecto si cessaret motus per quem tempus metimur, deesset mensura ad tempus a nobis numerandum; sed non ideo deesset tempus, quod revera fluxit quando ad vocem Josue steterunt Sol et Luna, non secus atque astris eisdem suum peragentibus cursum; et fluxisset pariter, si omnis omnino creaturae motus cessasset, nam eadem ratio est, quoad temporis existentiam, de creaturis omnibus. Porro dum steterunt. Sol et Luna, etiamsi omnis rei pariter motus tunc cessasset, potuit Deus, si ei placuisset, multa successive creare: numquid in hac successiva creatione deesset tempus? si ergo sola successione secundum existentiam salvatur ratio temporis, quis non videat tempus fluere dummodo aliqua existat creatura, siquidem non est possibilis existentia creata sine existentiae principio, et consequenter sine instantium successione si conservetur a Deo? Quod autem Aristoteles tempus per motum definierit, ad rerum mutationes attendens, nihil mirum, nam creationem ex nihilo non cognovit, qua sublata, nihil aliud sonat, si adhibeatur, contingentiae nomen quam entis mutabilitatem seu possibilitatem transitus ab uno entis statu seu conditione in aliam, vel, si magis placet, possibilitatem existentiae vel non-existentiae status vel conditionis ejusdem, vel eorum secundum quae mutationes fiunt: nequaquam vero esset contingentia in hac hypothesi attributum directe oppositum necessitati entis aeterni, quia quam vocamus creaturam, creatura non esset; siquidem increatum esset mutationis subjectum, quod proinde non esset contingens, sed necessarium atque aeternum sicut Deus. Vnde sedulo distinguendum est inter immutabilitatem atque aeternitatem, mutabilitatem et contingentiam, non enim sunt idem formaliter, quamvis sunt inseparabiles respective. Mutatio enim est transitus entis, non ab esse ad non esse, aut a non esse ad esse, sed ab uno modo se habendi ad alium; contingentia vero dicit possibilitatem essendi vel non essendi: unde manifestum est diversos esse conceptus mutabilitatis et contingentiae, et per consequens conceptus immutabilitatis atque aeternitatis, nam aeternitas est immobilitas existentiae, quae contingentiae directe opponitur. Est igitur oppositio contrarietatis inter mutabilitatem creaturae atque immutabilitatem Dei, inter creaturae contingentiam atque Dei aeternitatem vel necessitatem, nam aeternitas et necessitas in Deo ipso, seu prae-

scindendo a comparatione mentis nostrae inter aeternitatem Dei et durationem entis temporanei, unum et idem formaliter sunt.

e) Ex hactenus elucubratis plane inferitur aeternitatem et tempus e diametro inter se opponi. Contraria sane sibi invicem omnino sunt, quia nihil est in quo conveniant, sed absolutam oppositionem exhibent notiones eorum, ut videre est in definitionibus quas supra dedimus. Tempus, diximus, ut conditio rei contingentis, est mobilitas entis in existendo, aeternitas vero immobilitas: porro si aeternitatem et tempus in concreto spectes, atque ens aeternum ac temporaneum definire velis, invenies profecto aliquid utrique commune per analogiam, nempe, existentiam, et aliquid proprium cujusque, nempe, modum existendi; et sic aeternum defines „ens immobile, vel existentiae immobilis,“ temporaneum vero „ens mobile, vel existentiae mobilis“: ergo si ad solum abstractum attendas, nempe, ad modum existendi, qui est tempus aut aeternitas, sola remanet oppositio, mobilitas videlicet et immobilitas. Quod autem attinet ad alteram temporis definitionem quae significat rei durationem in existendo, idem omnino dicendum est ac de priori secundum temporis oppositionem ad aeternitatem: nam in successione instantium existentiae nihil aliud apparet, praeter existentiam ipsam, nisi mobilitas entis; ens quippe contingens vel temporaneum per causalitatem Dei incepit esse, et quantum de se est, numquam non desinit esse, quatenus in esse non perseverat nisi per continuationem divini influxus conservantis illud. Itaque durare in existentia, secundum existentiam ipsam positivum est; secundum modum autem existendi, id est, secundum successionem instantium in qua consistit tempus, involvit nihilum rei, quatenus ipsa a se non est, sed per causalitatem Dei. Liqueat ergo aeternum ens et temporaneum in eo analogice convenire quod ambo existunt; aeternitatem autem et tempus nihil habere commune, siquidem sunt modi existendi e diametro oppositi. Fas igitur non est conceptum aliquem assumere tamquam genericum ad aeternitatem et tempus definienda; sed cum inter ea sit oppositio absoluta, definienda sunt per conceptus omnino contrarios. Contrarietas autem ista debet esse secundum oppositionem jam expositam, mobilitatis videlicet et immobilitatis, nam de aeternitate non cogitamus nisi media idea temporis, quatenus ad infinita vel divina mente repraesentanda non assurgimus nisi per species a rebus creatis desumptas: et ideo modus existendi in quo consistit tempus, debet significari per terminum positivum, nempe, mobilitatem, quoniam illum positive concipimus; modus autem existendi qui est aeternitas, debet significari, id est, defini per terminum negativum, quoniam aeternitatem positive non concipimus, sed per negationem temporis, id est, illam per speciem propriam nobis repraesentare non valemus. Haec tamen de aeternitate intelligantur prout ipsa opponitur

successioni temporis, et spectato mutuo respectu coëxistentiæ inter ens æternum ac temporaneum: nam si attendatur tantum modus existendi qui Dei proprius est, et prout in Deo ipso est, cum in Deo nullus sit realis respectus ad creaturam, et ideo eodem modo se habeat Deus quoad suum existendi modum, sive creaturæ sint, sive non sint, inde est quod ad concipiendam æternitatem prout in Deo ipso est, non est attendendus in Deo respectus coëxistentiæ ad ens temporaneum, et consequenter nec respectus oppositionis ad tempus, id est, ad temporis successionem; et sic æternitatis conceptus est pure positivus, et a conceptu necessitatis divinæ existentiæ indistinctus. In quo quidem æternitatis conceptu repræsentatur æternitas prout in Deo est, secundum exclusionem respectus coëxistentiæ ad ens temporaneum, et in quantum necessitatem divinæ existentiæ concipere valemus; nequaquam vero secundum perfectionem quam æternitas vel necessitas ipsa importat, sicut de omnibus Dei attributis est tenendum.

f) Ex his præterea de æternitate notionibus manifeste consequitur non esse admittendam, loquendo in rigore metaphysico, definitionem æternitatis quam tradit Boëthius, et qua esse dicitur „interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.“ In primis enim vox interminabilis durationem sine fine significat; conceptum autem durationis ab æternitatis notione excludendum esse ostensum est. Deinde casus rectus hujus definitionis, nempe, possessio vitæ, non exhibet conceptum æternitatis nec durationis, sed conceptum beatitudinis; non enim est aliud vitam possidere aut vita frui nisi beate vivere; qui enim misere vivunt, non vivunt possidendo vitam, sed patiendo mortis aerumnas. Possessio igitur vitæ tota simul et perfecta est beatitudo perfecta: si autem vita quæ sic possidetur, est interminabilis, beatitudo erit quoque interminabilis.¹⁾ Definivit itaque Boëthius per verba citata beati

¹⁾ Duratio vel perpetuitas beatitudinis non pertinet ad naturam ejus, sed est ejus sequela. Si Apostolus vidit in hac vita essentiam Dei, tam beatus fuit, dum vidit, videndo transeunter, quam beati sunt videntes qui jam a videndo nunquam cessabunt. Illa transiens beatitudo Pauli ex parte quidem Pauli nunquam cessasset, quoniam semel possesso summo bono, impossibile est ut creatura illud possidens ab ejus nunquam amore deficiat, et consequenter nec nunquam ejus visione privabitur culpa sua: sed cum beatitudo sit donum Dei, licet non possit ea cessare dum creatura hoc donum accipit a Deo, cessabit tamen, ut patet, si cesset donatio Dei; et ita in Paulo factum est. Ita autem in eo factum est (dato quod hoc extraordinarium accepit a Deo beneficium) quia licet visio Dei habet naturam suam rationem finis, et secundum hoc postulat perpetuitatem, illique dumtaxat ea fruuntur, de lege ordinaria, qui jam in fine sunt constituti; Deus tamen qui dona sua singulis hominibus dividit prout vult, hanc voluit legis exceptionem, ut qui abundantius Apostolis omnibus pro Dei gloria laboraturus erat, et per quem præcipue voluit Deus notas facere omnibus gentibus divitias gloriæ suæ, ejusdem divinæ gloriæ conspectu dignaretur, quatenus hac singulari consolatione lactificaret Dominus animam servi sui, quem tanta pati oportebat pro nomine ejus. Itaque visio Pauli, quamvis secundum naturam suam alia non fuit a visione coelicolarum, secundum

tudinem interminabilem. Dato autem, si ita placet, nequaquam concesso, quod per appositum tota simul significatur aeternitas, definit beatitudinem aeternam. Sed numquid idem sunt conceptus aeternitatis et conceptus beatitudinis aeternae? Absdubio Æternus nequit non esse beatus; sed aliud est esse beatum, aliud esse aeternum, sicut in aevo beatorum aliud est aevi duratio, aliud beatitudo, siquidem eadem est duratio reprobatorum, qui miseriis opprimuntur. Quod autem per appositum tota simul non significatur aeternitas, id est, non potest significari, quamvis auctor definitionis eam significare intenderit, inde facile evincitur quod possidere vitam totam simul seu possessio vitae tota simul est fructio beatitudinis non per partes et successive, sed ex integro; hoc autem non importat nisi perfectam possessionem objecti beatitudinis, et praescindit ab extensione durationis possessionis ejusdem, quis enim non videat hanc perfectam vitae possessionem consistere in perfectione operationis qua objectum beatitudinis possidetur, in perfectione autem operationis conceptum durationis non includi? profecto si Apostolus in hac vita Deum vidit, etsi transeunter

propositum tamen divinae voluntatis non habuit rationem finis, sed medii, in ordine videlicet ad exercendum munus Apostolatus; et hac de causa fuit transiens; congruum enim non est ut qui jam sunt in fine, illo bono vel ad tempus a Deo priventur ad cuius fruitionem Deus illos creavit. Igitur beatitudinis natura, cum consistat in operatione qua creatura rationalis fruitur summo bono, et quae perfecte exeretur in instanti, a duratione vel perpetuitate praescindit. Sed dices: si fruens summo bono non est certus de perpetuitate fruitionis, nequit esse perfecte beatus ob timorem fruitionis ejusdem amittendae: ergo saltem ex hac parte perpetuitas beatitudinis pertinet ad essentiam ejus. Respondeo autem negando prorsus antecedens. Si in beatitudine creaturae locum haberet amor suiipsius, perfecta sane illa non esset absque certitudine perpetuitatis ejus. Verum in videntibus Deum locus omnino non est amori suiipsius, sed Deus est omnia in omnibus: et ideo in hypothesi quod sancti alicujus beatitudo finem, ipso praescio, habitura esset, nequaquam inde minus beatus esset quamdiu beatitudo duraret: ipsa quippe est gaudium de veritate; veritas autem, ad rem quod attinet, haec est, quod nemo bonus nisi solus Deus; unde beati non gaudent nisi de bono Dei, sicut Deus ipse non gaudet nisi de bono suo, omnia quippe bona creata divinae sunt bonitatis participationes, et ea propter amorem sui, id est, propter gloriam suam Deus creaturae communicavit. Propter quod fideles Dei servi, Scriptura testante, inrant in gaudium Domini sui, quia non alio gaudio sunt beati quam gaudio ipsius Dei, siquidem de alio non gaudent nisi de quo gaudet Deus, solaque proinde gloria Dei est illis causa gaudendi. Et re quidem vera, tali coelites ac tanto erga Deum affeuntur amore ut si voluntas Dei esset quod eorum beatitudo aliquando cessaret, desiderium finis ejus ad eandem pertineret; nec minus profecto in ejusdem finis consideratione delectarentur quam in fruitione bonorum omnium, ob divinae videlicet voluntatis adimpletionem. Relinquitur ergo quod ad perfectionem beatitudinis subjectivae non requiritur cognitio perpetuitatis ejus, quia quisquis videt summum bonum, nihil aliud potest quam illud tota affectus intensione amare, et consequenter purissimo affici gaudio. Caeterum de mera hypothesi locuti sumus quam impossibile est verificari, tum spectata natura ultimi finis, in quo status rei non mutatur; tum etiam amoris creaturae in Deum perfectione consummata, quae profecto certitudinem postulat beatitudinis non amittendae; praeterquam quod, et haec est ratio praecipua, hujus securitatis veritas e divinis constat eloquiis.

videns, vere dum vidit, possedit beatorum vitam totam simul, id est, fuit perfecte beatus. Ergo vox tota simul, si non significat perfectam objecti beatitudinis possessionem per operationem subjecti beati, (quae possessio per se a conceptu durationis vel aeternitatis praescindit) est omnino sensu vacua; quid enim esse potest vitam beatam possidere, nisi possidere objectum in cuius fruitione beate vivitur? Praeterea eadem vox non potest significare aeternitatem nisi significans extensionem totius durationis in uno puncto vel instanti comprehensam. Si quis autem contendat hunc esse posse sensum illius, respondeo primo inepte illam adhiberi tamquam appositum subjecti possessio; nam res quae durat, non duratio ejus, est possessionis objectum. Deinde extensio durationis tota simul implicat in terminis: nam si non est in ea successio instantium, jam non est extensio vel totalitas; in genere namque durationis totalitas non concipitur nisi ut summa instantium existentiae; et sic non procedit dicere tota simul: si vero est in duratione successio instantium existentiae, non nisi cum manifesta contradictione dici possunt esse simul partes seriei successivae. Concludendum igitur praefatam Boëthii definitionem minus aptam esse ad aeternitatem Dei declarandam.

g) His praejactis principiis circa aeternitatem et tempus, nullo negotio ostenditur admittendam non esse durationem aeternam ante tempus, id est, ante creationem; quam durationem qui in Deo ponunt, falluntur prorsus, quia ponunt in Deo tempus, et quia ponunt tempus extra tempus; duratio enim non est aliud nisi tempus, siquidem est successio instantium existentiae. Nihil ergo antiquius est aut esse potest initio temporis, quoniam antiquitas etiam est tempus, et sic dari nequit extra tempus. Porro creatio rerum contingentium qua incepit tempus, prius fieri quam facta est, omnino non potuit; quia non datur prius extra tempus, prius enim et posterius tempore continentur. Vnde hallucinatio imaginationis est aliquod durationis spatium concipere praecedens creationem, nam inter initium temporis et Dei aeternitatem non datur medium. Provenit autem hallucinatio ista ex falsa notione aeternitatis, quae saepe exhibetur tamquam duratio illimitata, cum duratio non sit; et inde est quod multi imaginentur immensa durationis spatia ante creationem, quod aliud non est quam tempus protendere a parte ante sicut protendi potest a parte post: qui quidem non advertunt non esse tempus sine principio, et consequenter ultra principium, quamvis esse potest sine fine; quia in serie successiva non est eadem ratio de ordine ascensionis atque de ordine descensionis. Sed ut veritas nostri asserti fiat evidentior, ponamus infinitum durationis spatium ante creationem: si transiit jam, quomodo est infinitum? si autem non est infinitum, quomodo erit aeternitas, siquidem, sublata creatione, sola aeternitas invenitur?

Nisi forte quis velit duas distinguere aeternitates, unam ante, alteram post creationem: sed ponere partes vel ante et post in aeternitate non est aeternitatem multiplicare, sed destruere et in tempus convertere. Si ergo spatium illud fluxit, tempus est, quoniam aeternitas est immobilis; et sic ponitur tempus extra tempus: si autem non fluxit, nec finem umquam habebit, creatura adhuc non prodiit, nec potest umquam prodire. Itaque manifestum est quod inter Dei aeternitatem et initium temporis nihil durationis intercedit medium; itemque quod repugnat infinitum durationis spatium praecedens creationem; et consequenter creationem prius vel posterius quam facta est, fieri non potuisse, aut tempus prius vel posterius incipere quam incepit. Deus igitur non extitit umquam solus, sed cum creatura semper; quia dato decreto creationis, quod aeternum est sicut Deus, nulla interjecta mora creatura prodiit, nulla quippe est possibilis mora ubi non est tempus. Nec tamen creatura est aeterna, cum inceperit esse; siquidem incipere esse et ex nihilo fieri unum et idem sunt: neque Deus, quamvis aeternus, creaturam praecedit prioritate temporis, eo ipso quod est aeternus seu extra tempus, tempus enim cum creatura incepit: ideo dixit Dominus Jesus: „Antequam Abraham fieret, ego sum“: non dixit eram, sed sum, aeternitatis immobilitatem significans. Ad horum intelligentiam prae oculis habendum est aeternitatem et tempus non differre secundum quantitatem extensionis in duratione, sic enim differentia esset secundum magis et minus intra eandem speciem, id est, aeternitas nihil aliud esset quam tempus sine fine, nam tempus sine principio manifeste repugnat; sed differre specificè, et quidem per oppositionem contrarietatis: aeternitas enim non est duratio, quamvis nihilominus durat in sensu negativo, secundum entis nempe aeterni immobilitatem. Equidem ista difficilia sunt intellectu; sed qui non valeat ea directe intelligere, attendat ad argumenta indirecta quibus apodictice demonstrantur.

h) Etsi autem primum temporis instans et creatio in eo facta (praescindendo a natura rerum creatarum) antiquiora esse quam sunt aut recentiora minime possunt, non tamen ejusdem conditionis sunt res quae sive in principio sive in temporis successione fiunt. Manifestum est enim creaturas singulas, sicut poterant non creari, ita etiam alio tempore creari quam creatae sunt; dummodo temporis initium vel prima creatio antiquior quam est aut recentior esse non posse agnoscatur. Temporibus autem instantia, cum abstractione facta a rebus quae in tempore existunt, nihil in se importent realitatis, prius esse quam sunt aut posterius minime possunt, sed necessario servandus est ordo eorum secundum numerum, quatenus secundum succedit primo, tertium secundo, etc.: in quorum serie successiva haec attendenda est primi a

reliquis differentia, quod primum, quamvis jam est in tempore, siquidem in illo incipit tempus, ipsum tamen per se solum non est tempus, sed temporis, ut ita dicam, elementum, quemadmodum unitas non est numerus, sed elementum et principium numeri: in secundo autem instanti jam habetur tempus, id est, successio; nam ad successionem duo saltem requiruntur, sicut ad efficiendum numerum requiritur ut unitas unitati adjungatur. Equidem in efficiendo numero nulla inter unitates apparet differentia, sed omnes ejusdem conditionis inveniuntur; verum in instantibus temporis non solum est attendenda ratio numeri, sed successionis quoque vel seriei successivae: porro in successione temporis secundum instans non differt a primo quatenus instans est vel unitas numeri, utique vero differt ut secundum, quoniam secundum habet rationem posterioris respectu primi, et prioris respectu tertii, primum autem habet rationem prioris tantum: et inde fit ut creaturae quae in quolibet temporis instanti praeter primum productae sunt, antiquiores esse potuerint vel recentiores; illae vero quae primo instanti prodierunt, recentiores tantum, quia nihil est prius instanti primo, cum successio non detur extra tempus. Si quis autem objiciat quod non pendet antiquitas creaturae ab initio temporis, ita scilicet ut ob hanc dependentiam impossibile sit creationem prius incepisse quam incepit, sed e converso tunc necessario incipit tempus quum prima creatio fit; et ideo, si placuisset Deo prius creationem incipere quam incepit, antiquius etiam quam modo est, initium temporis esset; respondeo quod vera initium temporis necessario consequitur creationem primam; sed exinde manifestum fit quod ante creationem non est tempus, seu non est ante; et ideo hallucinatio imaginationis est aliquam concipere moram quae inter divinum creandi decretum atque creationem intercesserit. — „In principio erat Verbum“, ait B. Joannes. Absdubio principium in sensu absoluto sumit Evangelista, quia nihil est neque in exscripta phrasi neque in contextu per quod nominis illius sensus limitatione aliqua restringatur. Principium autem in sensu absoluto est principium rerum omnium; quod dupliciter intelligi potest: secundum virtutem videlicet et originem unde res habent suum esse, et sic est principium efficientiae, nempe, Deus; vel secundum existentiae durationem, id est, secundum ordinem successionis in instantibus existentiae, et sic est principium temporis. Jam vero, si in priori sensu nomen illud accipiamus, In principio erat Verbum idem erit atque In Deo, id est, in Patre, erat Verbum: sed nequit talis esse hujus phrasis sensus, quin phrasi immediate sequens „et Verbum erat apud Deum“ sit manifeste redundans, utpote idem omnino dicens. Confirmatur, quia postquam his duabus Evangelista tertiam addidit „et Deus erat Verbum“, immediate subjungit:

„hoc (Verbum) erat in principio apud Deum“; quo in inciso prima phrasim et secunda unica propositione repetuntur: quis enim in ipso inciso legat: hoc erat in Deo apud Deum? Ergo in principio temporis, nam aeternitatis non est principium, erat, id est, jam erat Verbum: in principio videlicet existentiae mundi, quando creavit Deus coelum et terram, Verbum non incepit esse cum mundo, sed jam erat, quia omnia per ipsum facta sunt; et non quidem quasi per instrumentum quod vicissim factum sit, nam sic non omnia quae facta sunt, per illud essent facta, sed tamquam per causam exemplarem omnis creaturae, quae unum et idem est cum principio efficiente, quoniam Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Itaque ideo jam erat Verbum, quando creavit Deus coelum et terram, quia in aeternitate erat, siquidem Deus erat. Vnde patet quod Verbi aeternitatem significat Evangelista per illam phrasim „In principio erat Verbum“. Haec autem phrasim apta non esset ad significandam aeternitatem Verbi, si aliquod durationis spatium possibile esset ante creationem, sed majorem tantum significaret prae mundo antiquitatem; ex eo enim quod Verbum jam erat in principio, quando scilicet creatus est mundus, non sequitur in dicta hypothesi nisi ipsum esse antiquius mundo. Cum ergo incredibile sit Evangelistam per illam phrasim non aeternitatem Verbo asseruisse, sed majorem tantum prae mundo antiquitatem, ex eadem Scripturae phrasim jure merito infertur quod principium temporis seu existentiae creaturae et principium durationis in sensu absoluto unum et idem sunt; et consequenter quod prima creatio non potuit nec prius nec posterius fieri quam facta est.

i) Deinde scire oportet circa immobilitatem aeternitatis et successionem temporis, quod ex una parte ens aeternum, utpote immobile, coëxistit omnibus entibus quolibet tempore existentibus; ex alia vero, quamvis aeternitas est indivisibilis, id est, non est infinitas secundum extensionem seu secundum multitudinem instantium existentiae, sed secundum perfectionem seu necessitatem existentiae, unde habet ut extendatur ad omnia possible tempora, non secundum se, sed secundum respectum entis aeterni ad entia in tempore existentia; non obstante, inquam, hac aeternitatis indivisibilitate, entia quae in tempore successive existunt, non simultanee sed successive coëxistunt enti aeterno, cum tamen ex parte entis aeterni in eadem coëxistentia non sit successio. Sic etsi anima Adami v. g. multo ante creata fuit quam anima Christi, coëxistit tamen Deus alteri et alteri animae absque successione, quia non est formaliter in aeternitate Dei multitudo instantium existentiae quorum unum respondeat initio existentiae animae Adami, alterum initio existentiae animae Christi. Non tamen coëxistit utrique simul (intellige, in tempore illo quod

fluxit ab ortu Adami usque ad Christum), sed prius coëxistit animae Adami, deinde, transacto illo tempore, animae Christi, quia prius extitit anima Adami, deinde anima Christi; quomodo enim coëxistit quod non existit? porro anima Christi tempore praefato non extitit; et sic nec Deo coëxistit, nec Deus ei. Respectu igitur temporis illius Deus non coëxistit simul alteri et alteri animae, sed successive; quod tamen non importat successionem in Deo, sed in creaturis, quoniam, ut dictum est, Deus, ut ens immobile, debet ex una parte coëxistere omnibus entibus quovis tempore existentibus, ex altera vero non existit in tempore, id est, non sunt formaliter in existentia ejus instantia quae successive respondeant instantibus existentiae creaturae: et ideo cum Deus quovis tempore indeficienter existat, sicuti existeret si non essent tempora, cum dicitur Deum non coëxistere alicui creaturae, intelligendum est quatenus creatura non coëxistit Deo, quae revera Deo non coëxistit quum non existit: et similiter quum dicitur Deum non coëxistisse simul duabus creaturis in aliquo determinato tempore, intelligendum est quatenus eadem creaturae non coëxtiterunt simul Deo. Nec tamen inde sequitur mutari Deum in cognitione existentium creaturarum. Si cognitio ista conversionem requireret ipsius Dei ad realem creaturae entitatem extra Deum, sic profecto daretur successio et mutatio in cognitione Dei: nulla autem actio Dei terminatur per talem conversionem ad objectum positum extra Deum, et in seipso et per seipsum videt Deus cuncta quae fiunt in successione temporum. Non ergo aeternitas est Deo medium cognoscendi futura, quatenus in aeternitate omnia sint praesentia: nam futura actu non sunt, sed erunt: si ergo non sunt, quomodo praesentia sunt entitate sua quamdiu sunt futura? Circa quod scire oportet quod temporum differentiae reales sunt: quod autem reale est, non solum tale est respectu nostri, sed etiam respectu Dei: quamdiu igitur aliquid non est, nihil est entitate propria sive nobis sive Deo. Nec obstat quod omnia tempora aeternitate absorbentur: nam absorbentur successive, non simul, quia simul non sunt; et nihilominus in aeternitate non est successio, quoniam eatenus illa se extendit ad omnia possibile tempora quatenus est immobilis. Falsa igitur est conceptio aeternitatis ad instar magnitudinis rei quantae, ita ut ad eum fere modum quo massa corporis puncta spatii, totam illa occupet extensionem temporis: falsa, inquam, est, tum quia aeternitas non constat partibus, tum quia temporis partes non simul sunt sicut in extensione proprie dicta, sed successive. Similitudo ergo non est inter respectum coëxistentiae entis aeterni ad temporanea seu respectum aeternitatis ad tempus et respectum commensurationis corporis extensi ad spatium vel ad aliud corpus extensum: quoniam prior respectus est unius ad

multa, aeternitatis nempe quae simplex est, ad instantium temporis seriem successivam; alter vero est multorum ad multa, partium videlicet ad partes extensi. Verumtamen eo ipso quod ens aeternum existit dum existunt temporanea in instantibus successivis, necesse est ut instantia temporis virtualiter sint in aeternitate: quoniam simplicitas aeternitatis non est simplicitas limitationis ita ut sit illa instans indivisibile; sed est simplicitas perfectionis, quatenus indivisibilis cum sit, ratione tamen immobilitatis suae continet virtualiter totam temporum extensionem. Secundum respectum igitur vel comparisonem unius ad multa sic se habet aeternitas ad instantia temporis sicut se habet immensitas vel Dei virtus efficiens ad actiones creaturarum: quemadmodum enim Dei virtus, una cum sit et indivisa, continet in se causalitatem diversarum actionum quae a creaturis exercentur; ita aeternitas absque successione vel existentiae continuatione quasi complectitur omnium temporum extensionem, quatenus in sinu ejus volvuntur omnia tempora. Verum non eodem modo temporum duratio in aeternitate includitur atque diversae causalitates creaturarum in simplici actione Dei continentur: nam actio Dei terminatur etiam ad plura simul existentia, tempora autem omnia, imo vel aliqua temporis instantia simul esse contradictorium est, cum tempus in successione consistat; et ideo res quae in tempore sibi succedunt, non simul sunt in aeternitate praesentia, sed tunc sunt praesentia propria entitate sua quum realiter existunt in successione temporum: et sic verificatur quod supra dixi, tempora videlicet omnia aeternitate utique absorberi, sed successive, non simul, quia simul non sunt. Dicendum itaque quod ens aeternum praesens est omni tempori, quatenus manet dum tempora successive transeunt; sed quae in tempore sunt, dato quod successive existentiam accipiant, non sunt simul praesentia in aeternitate, secundum propriam nimirum entitatem suam, et pro spatio quod inter ortum unius et ortum alterius intercedit; sed successive, quia successive sunt. Porro si nihil Deus creasset, nihil esset praesens in aeternitate secundum propriam entitatem suam: similiter ergo quae in tempore fiunt, dum nondum existunt, non sunt praesentia in aeternitate Dei, sicuti praesentia non essent entia annihilata; ejusdem quippe conditionis sunt quoad existentiae realitatem entia numquam existentia, entia nondum existentia et entia ad nihilum redacta. Verbo: id est praesens in aeternitate secundum suam existentiam, quod realiter existit. Actiones igitur creaturae, sive necessariae sive liberae, tunc praesentes sunt in aeternitate, secundum propriam realitatem extra Deum, cum actu a creatura eliciuntur. Semper quidem sunt Deo praesentes praesentia cognitionis, secundum quam nihil novi potest Deo accidere, ut minus perfecte res cognoscat quando non sunt,

perfectius autem quando actu sunt: verumtamen relate ad tempus in quo res non sunt, recte dicitur Deum illas praevidere aut praescire, quatenus vere illas novit antequam sint.

1) Potest autem alicui occurrere sequens difficultas. Si id quod existit ab initio temporis, numquam non fuit praesens in aeternitate praesentia propriae existentiae extra Deum, idem dicendum videtur de iis quae posterius incipiunt existere; nam Deus, cum non sit in tempore, non expectat creaturae ortum; et haec ratio aequae valet pro creatione prima atque pro creationibus ulterioribus. — Ad quam solvendam difficultatem juvabit aliam proponere, quomodo nempe, cum actio creatrix Dei, sicut omnis operatio ejus, simplicissima sit atque aeterna, effectus tamen seu creaturae, non omnes simul, sed successive oriuntur; nam animae hominum, non omnes ab initio, sed tunc a Deo creantur, juxta catholicum sensum, cum corporibus infunduntur; insuper successive animae ipsae actione Dei sanctificantur. Ad quod respondeo 1°. quod creatio est operatio nobis incomprehensibilis, non solum secundum perfectionem infinitam quae cuilibet competit actioni divinae, sed etiam secundum speciem actionis. Nam intellectionem Dei v. g., qualis nempe Deo convenit, non concipimus; verum quid sit intelligere bene novimus, quatenus illud in nobis experimur: sed actionis creandi naturam nulla, ut puto, rationalis creatura capere sufficit, quoniam talis actio postulat virtutem infinitam ex genere suo. Deinde 2°. praescindendo ab omni successione in effectibus actionis divinae, ut in hypothesi quod nolisset Deus creaturam conservare, sed aliquid creare ut existeret unum instans indivisibile, et illico redigeretur ad nihilum (quod, spectata dumtaxat potentia Dei executiva, possibile est), etiam sic creatio non esset possibilis, salva immutabilitate Dei, si admittatur in Deo realis relatio ad creaturam in ejusdem creaturae productione: nam data hac relatione reali, aliter se haberet Deus creans quam non creans; potuit autem non creare, quia libere creavit. Sic ergo, sive creet Deus, sive non creet, secum tantum et sibi vivit, secum et sibi agit; nec aliquid habet extra se objectum actionis suae, ad quod nempe se convertat; nec aliquem specialem modum se habendi importat in eo productio creaturae: secus profecto atque contingit in homine, qui aliter quidem se habet dum opus artis v. g. mente concipit; aliter vero dum ad ejus elaborationem applicat facultates suas; aliter denique dum illud contemplatur jam perfectum. Si ergo potuit Deus creare vel non creare, quin aliquam in creando subiret mutationem, perinde est, ad immutabilitatem Dei quod attinet, sive creatura in accepta existentia conservetur, sive non: nam si Deus non mutatur creando simpliciter, etiam mutari non debet conservando, sicut nec creando multa successive; quoniam si in creando sic se habet apud se

ac si nihil ageret extra se, nihil refert seu indifferens est, quoad immutabilitatem suam, quod creaturae producantur simul aut successive; quod simpliciter creentur, aut etiam conserventur. Et ad pleniorum, quantum humana fragilitas permittit, hujus puncti dilucidationem, consideremus productiones divinarum Personarum in Sma. Trinitate. Ecce in hoc mysterio exemplum productionis successivae, ut ita dicam, sine successione: siquidem productio tertiae Personae praesupponit productionem secundae, nam tertia producitur a secunda sicut a prima; et nihilominus in his productionibus non est successio sed ordo, quoniam Personae productae ejusdem sunt aeternitatis, ejusdem numero substantiae cum improducta. Si ergo dualitas productionis non obstat simplicitati neque aeternitati actionis divinae intra Deum, quare debet obstare multitudo effectuum extra Deum? Porro quidquid Deus agat, sive ad intra sive ad extra, actio Dei talis esse debet qualem postulat absoluta perfectio divinae essentiae. Quod autem actionis divinae productus in aeternitate prodeant aut in tempore, quodque successio sit aut esse possit inter eos qui in tempore existunt, haec ab eo pendent, quod productus vel cum divina substantia identificentur, ut verificatur in Personis divinis, vel ab ea distinguantur, ut contingit in creaturis. Et sane, in impossibili hypotesi quod Filius et Spiritus Sanctus essent creaturae, daretur successio in instantibus existentiae eorum, et possent etiam prodire unus post alium in successione temporis; nec tamen Persona prima seu Deus aliter ageret quam convenit Deo, sed actione simplicissima atque aeterna. Et ut uno verbo dicam, actio productiva sequitur conditionem principii producentis, quoniam ipsius est, non termini producti: et inde est quod potest esse multa discrepantia vel dissimilitudo inter conditionem actionis et termini ejus, prout nempe ipsa sit inter terminum et principium: ideoque intra Deum dissimilitudo non est inter actionem et terminum ejus, sed in utroque pariter aeternitas, quia ejusdem substantiae sunt terminus et principium; e contrario autem in operatione Dei ad extra. Relinquitur ergo successionem in existentia creaturarum ideo componi posse cum simplicitate atque aeternitate actionis divinae quia creatura est productus distinctus a divina substantia, et consequenter habet rationem effectus, estque proinde actionis productivae principio valde dissimilis. Iamque, difficultate ista soluta, licet ad praecedentem respondere. Sicut negatio successionis in actione Dei creatrice non tollit realem successionem in creatis, ita negatio expectationis in Deo donec creatura prodeat, non importat negationem non-existentiae seu existentiam creaturae antequam creetur: nam revera et Deus non expectat, et creatura non existit donec creata est; quoniam Deus nihil participat de differentiis temporum, quae in creaturis quidem verae et reales

sunt; et consequenter futura, quamdiu futura sunt, neque existunt respectu nostri neque respectu Dei, Deoque proinde non coëxistunt, nec Deus eis, quemadmodum et entia jam existentia, si annihilarentur, Deo non coëxisterent annihilatione facta. Ad rationem ergo cui objectio innitur, quia nempe Deus, cum non sit in tempore, non expectat creaturae ortum, respondetur quod negatio expectationis in Deo bene conciliatur, uti ostensum est, cum realibus differentiis temporum in creatis. Ratio autem cur Deus de differentiis temporum non participat, si attendamus ad substantiam suam, est immobilitas existentiae suae: si ad efficientiam vel causalitatem suam, illa est quam supra de creatione loquentes assignavimus, actionem nempe causae sequi ejusdem causae conditionem: si ad cognitionem demum vel scientiam suam, alia sane non est nisi quia Deus quaecumque facit ad extra, in aeternitate sua et quin a seipso exeat, actu simplicissimo et invariabili videt atque disponit; entitates autem creatas videt utique in seipsis quum realiter existunt, sed per semetipsum quin ad eas se convertat, quod nullam importat in Deo mutationem; necessario enim omnia nuda et aperta sunt oculis ejus in quo vivimus et movemur et sumus. Itaque, ut concludamus, ex una parte in aeternitate, id est, intra aeternitatem tempora currunt, secundum entis nempe aeterni praesentiam fixam et immobilem; ex aliavero ens aeternum de differentiis temporum non participat, quia non habet relationem realem ad entia in tempore existentia, sed ab eis est prorsus independens sicut in existentia, ita et in operatione sua.

m) Synopsis et conclusio. — Necessario esse et contingenter esse, immobiliter esse et mobiliter esse, semper esse, durare in esse, aliquando non esse, desinere esse, omnia haec, quibus aeternitas vel tempus continentur vel significantur, revocantur ad esse et non esse, ita ut in aeternitate sit esse purum, in tempore autem esse cum non-esse; quoniam in aeternitate esse est necessarium, contingens autem in tempore. Esse igitur in tempore est modus essendi qui opponitur aeternitati in non-esse, et a solo non-esse habet quod distinguatur a modo essendi sibi opposito. Et secundum istum modum essendi qui est esse in tempore, omnia quae extra Deum sunt aut fiunt, ejusdem omnino conditionis existunt: sive enim substantia creaturae praecisis mutationibus, sive mutationum subjectum, sive illa secundum quae mutationes fiunt, omnia haec ab ente aeterno, quoad modum essendi de quo agimus, in hoc differunt, quod ens aeternum simpliciter seu absolute est, illa vero ita sunt ut possint non esse; quorum quidem alia desinunt esse, alia vero in esse durant, non ab intrinseco, sed per influxum causae a qua esse acceperunt. Quidquid ergo cogitetur de aeternitate et tempore, non aliter explicandae sunt utriusque notiones et differentiae quam per esse et non esse, seu per entis necessitatem et contingentiam.